

10,000

27

DE
P A T R I A P O T E S T A T E
CIRCA
VITAE GENERIS ELECTIONEM FILIORUM.

1785 4

D I S S E R T A T I O

Q U A M

P R A E S I D E

D. ERNESTO GOTTFRIED CHRISTIANO
KLÜGEL

IUR. SAX. P. P. O. IUDICII PROUINCIALIS IN LUSATIAE INF.

MARCHIONATU ET FACULTATIS IURIDICAE

WITT. ASSESSORE ORDIN.

H. L. Q. C.

DIE XXVIII. MENS. SEPTEMB. 1785.

WITTENBERGAE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES CAROLUS GOTTLLOB HEISE

DRESDENSI.

D R E S D A E ,

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI MEINHOLDI.

DE
PATRIA POTESTATE

MATER GENITRIX FRANCIONUM LIBERATORUM

DISSESSATIO

PRAESIDIO

D. ERNSTO GOTTLIEB CHRISTIANO

KRÜGER

IN 200 P. R. O. D. C. H. FRONDSKALIS IN LITHUANIA IN
MAGDEBURGENSIS ET POLONENSIS PROVINCIIS

H. I. O. C.

DIE XXVII. MARS. THER. GERM. 1513 CCCLXXXV

AVTOMATON. DILEXAMP

JVNNE CAROLUS GOTTLIEB HERZ

DRSDE

LITERARIS GALLI CIVITATIBUS MUNIBUS

SUMMI SENATUS SACRI
SUMMI SENATUS SACRI
ATQVE
CONSISTORII SUPREMI DRESDENSIS
AIRIS MAGNIFICIS
PRAESIDI
DOMINO
FRIDERICO GOTTFLOB
A BERLEPSCH
DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN &c.

EIUSDEMQUE

SUMMI SENATUS SACRI

SUMMI SENATUS SACRI

ATQUE

CONSISTORII SUPREMI DRESDENSIS

VIRIS MAGNIFICIS

SUMME REVERENDIS ILLUSTRIBUS IURIS CONSULTISSIMIS DOCTISSIMIS

CONSILIARIIS

ATQUE

ASSESSORIBUS


FATRONIS SUMMO PIETATIS CULTU SUSPICIENDIS

HUNC LIBELLUM

D. D. D.

CLiens DEVOTISSIMUS

JOANNES CAROLUS GOTTLÖB HEISE.



Q. D. B. V.

§. I.

Institutio ratiō.

A pud maiores iam obtinuit mos laudabilis et imitatione omnino dignus, vt iuuenes, cum per aliquod tempus in academiis comorati essent, specimina ederent, quibus docerent, quantos fecerint profectus in artibus atque scientiis. Tamen neque hodie plane effebuit hoc studium propositis publice scriptis, diligentiae in Academia adhibitae, quasi testimonium exhibendi. Quamobrem, cum ex lege patria mihi, iuris scientiam addiscendi prius, quam ex Academia discedere licet, publice sit disputandum, pie memor et beneficiorum a Serenissimo Principe in me collatorum, et benevolentiae, qua me cultu deuotissimo deuenēranti Patrobi cumularunt, eo magis quoque me obstrictum puto, vt qualicunque opella ostendam, me tempus, quod in hac academia litterarum causa transagi, non sine fructu consummisse. Mediante mihi, quale dissertationis thema eligerem, hoc, pátriam potestate circa vitae generis electionem filiorum fissens, ideo placuit quod viribus meis



meis patriaeque voluntati respondebat. Licet quidem libenter profitear me tironem, non ea eruditione esse praeditum, vt doctis atque acutius hanc rem perspicientibus viris, libellum perfectum proponere possum; confido tamen, lectores aequi bonique hoc, quod impendi, studium consulturos, eaque cum indulgentia atque humanitate amplexuros, qua semper animus excelsus de rebus humilioribus, nec non de primitiis ingenii aliorum iudicare solet. Quod si videar potestatem patriam restringere, non ita hoc accipiendum est, ac si ipse non libenter paream, aliis inobedientiae occasionem praebere vellem. Nam mili certe: cui configit, patre vti, cum in aliis rebus, tum in hac in primis aequifime sentiente, nullius dulcissus est exercitium officii, quam huius, vt patris optimi et dilectissimi iussibus obediam aliosque, ad idem, quo vix maius, acceptius utiliusque datur, implendum horter officium. Verum cum voluntatis coactio in rebus arbitrariis non possit non saepius magnis damnis occasionem praebere, excusandum me satis puto, si in his euitandis ipsorum parentum lucrum possum, astero. Praeterea, ideo de hoc potissimum egi, quod semper eae maxime mili placuerunt leges, quae cum naturalibus praecceptis arctissime cohaerent. Ita autem in hac re tractanda versabor, vt primo exponam veram notionem patriae potestatis, arque vitae generis electionis; sequentibus, quid legibus antiquissimis tam Romanis quam patriae nostrae hac de re dispositum; postea inspiciam leges recentiores Romanas Germanicasque; et denique, num pater conueniri possit a filio ob coactionem ad certum vitiae genus, aut filius voluntati patris contrarius, exheredari? considerabo.

Patria potestas quid sit, item vitae generis electio?

Ordo cuiuscunque libelli ante omnia desiderat, vt praemittatur accurate definitio obiecti, de quo agi debet, quo eo melius reliqua peripheri possint. Patriam itaque potestatem, si ad iurium ejusdem praescribitur

scripta

+ ○ +

scripta non attendamus, generaliter sic disiuniri posse puto, quod sit, *facultas patri competens, liberos educandi eorumque actiones ad optimum semper finem dirigendi.* Monendum tamen est, me non de omnibus iuribus atque officiis tractaturum, quae patri intuitu liberorum competit, sed de his tantum, quae id temporis spatium resipicunt, quo filius eam aetatem nondum consecutus est, ut possit perspicere, ad quod vita genus aptissimum sit. Porro sub patris appellatione, in hac quidem causa, matrem simul complector, nec non his, deficientibus, reliquos ascendentibus. Differendum doctorum; num patri aut matri ius potius competit? investigandi, hic locus non est. Hobbes. de civ. c. 9. §. 2. et 6. item Leyf. Spec. XVIII. med. 1. matrem praferunt patri, aliis vt Guil. Grot. c. X. §. 5. in enchir. de princ. iuris nat. et Puffend. de offic. hom. et ciu. l. 2. c. 3. patris potestatem praeualere contendentibus. Ego, medium sequens viam, exigitimo, quum generatio et educatio vera sit origo patriae potestatis, vtrumque parentem, durante coniugio et respectu liberorum, iuribus gaudere iisdem. Denique sub filiorum nominatione, quamvis plerunque in iure u. g. in l. 16. pr. D. de testam. tut. filiorum appellatione et filiae continentur, et in L. 45. pr. D. de legat. II. filiis meis hoste tutores de responsum esse, etiam filiabus tutores datus esse, filiae quoque intelligentur, ego tamen, cum fere omnis, quae in filiabus familiis accidere potest, mutatio, ea sit, quae sit per nuptias, eaque, etiam si vita mutetur genus, ad aliam plane pertinet iuris materiam: has nunc quidem sub filiis non comprehendam, vt potius de foliis filiis sum scripturus. Dicitum fuit in definitione, esse potestatem illam facultatem, liberos educandi. Verum vt de educatione agam, negotium meum non est. De ea sola re agam, parentibus ius esse, actiones filiorum dirigendi in electione vitae generis, quae directio non tam late accipienda, vt, si de imperio patris in filium ferme est, plerunque sit, nostris scilicet temporibus. Attamen, quae olim in vsu erant, iam perquiram, et ita quidem, vt, quid iure Romano sit constitutum, primo exponam. Eligit autem filius vitae genus, nam non praetermittendum esse animaduerto, vt de hoc quoque dicam, cum declarat, velle se ad futuram vitam necessaria, certo quoddam definitoque comparare modo, quem sibi putat maxime conuenire.

S. III.

§. III.

*Quid leges antiquissimae Romanae hac de materia
disponant.*

Aac apud Romanos quidem hoc ius patriae potestatis maximum fuisse, appareat ex multis tam iuris quam aliorum scriptorum locis u. g. ex *J. 2. Inst. de patr. potest.* in qua Imperator, *ius autem, inquit, potestatis quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum; nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Iam ante haec tempora ex Romuli ipsius lege, quam describit *Dion. Halic.* L. II. p. m. 96. Romanorum legislator omnigenam potestatem patri dedit in filium, et quidem toto vitae tempore, sive eum exponere, sive flagris caedere, sive vinculum allegare ad rusticum opus, sive necare libuerit, patet, patrem liberrimum habuisse arbitrium in filium. Obiici quidem potest, patrem ob certa tantum eaque grauiora delicta filium suum aut libertate, aut omnino vita priuare potuisse. Verum praeter Dionysium multi veteres Scriptores hac in materia consentiunt, patrique omnigenam tribuunt potestatem. Veluti apud *Philonen*, quem Grotius laudat, verba haec sunt: *Patri enim in filium omnimoda potestas iure quiritione competit.* Iam hic quoque occurrit vox, *omnimoda*. Omne vero nihil excludere, propterbio satis tritum est. Quamobrem certum puto esse, patrem quamcumque ob causam filium condonare potuisse etiam ob iniustam, et si haec non erat voluntas legislatorum, qui, eo itinre ad crudelitatem ciues non fore abusuros, sibi persuadebant. Audiamus de ea re *Simplic. ad Epideti Enchiridion, Antiquae Romanorum leges, respicientes tum ad eam, quae a natura est, eminentiam, tum ad labores, quos pro liberis sustinent parentes, volentes praeterea liberos parentibus sine exceptione subiectos esse, credo etiam confisae naturali parentum amori, et venundandi, si vellent, liberos, et impune interficiendi parentibus ius dederunt.* Ex hoc Simplicii loco duo sequuntur: unum, ea, quae prius dicta: corroborari per illum: alterum, legislatores non accusandos esse crudelitatis, tanta parentibus data potestate, quoniam

quoniam eorum mens haec erat, vt ea vi in optimum semper finem vrentur. Haec vero potestas propria fuit ciuium Romanorum, si comparentur cum aliis gentibus, potissimum Graecis, qui, vti docet Dionyfius, tempus admodum breve praescripserant, quo liberi parentibus essent subditi, aliis videlicet hoc vsque ad annum pubertatis tertium, aliis quam dui coelibes liberi manerent, aliis tandem donec publice viri adscripti essent filii, definiuntibus, quemadmodum ex Solonis, Pittaci Charondaeque legibus acceperant. Quem itaque, vt iam de potestate patris in eligendum a filio vitae genus, dicam, poterat pater flagris caedere, quem auctum ablegare ad rusticum opus, quem vendere aut pignori dare filium, si non potuisset de eius vita flattuere genere. Nam si patria potestas non per totam continuata fuisset vitam, vt apud Graecos, filius finito determinato, a legibus tempore potuisset ad quameunque, quae libuisset, vitam se applicare. At enim vero cum Romanorum patria potestas ita non restringeretur, omnimode potuit pater imperare filio genus aliquod vitae, quod eligendum eo certius erat, quo certius pater immorigerum vendere poterat, vt disceret seruus labores quoescunque iussu domini sustinere.

§. IV.

*Secunduni leges Romanas recentiores patria potestas
paulo mitior est.*

Haec patria potestas, de qua paragrapto antecedente actum fuit, legibus recentioribus quodammodo imminuta est. Et iam ante quidem quam leges ea de re condebandit, moribus paulatim mutata est cum res publica sensim cultior fieri inciperet, et Imperatoribus ea potestas, suo imperio parum apta videretur. Ita Imperator Traianus filium emancipauit, nec eo defuncto, patri concessit bonorum possessionem, quod apparet ex *L. ult. D. Si a parente quis manum issus:* qua in lege Traianus filium, quem pater contra pietatem male afficiebat, coegerit emancipare. Hunc fecutus est Hadrianus in coercenda patria potestate, vid. *L. 5. D. ad Leg. Pomp.*

B



Pomp. de parricid. dicens Hadrianus, cum venatione filium suum quidam interficerat, qui nouercam adulterabat, in insulam deportari iussit, quod latronis magis, quam patris more eum interficerat, nam patria potestas inquit magis in pietate non atrocitate confondere debet. Ex eo constat, patres non amplius infinitam potestatem exercere potuisse. Hinc etiam ab Alexandri Seueri temporibus sensim inualuit mos, filios non proprio ausu ob grauius delictum occidere, sed magistrati offerre, hac tamen facultate, ut pater poenam filio infligendam praescriberet magistrati vid. *L. 13. §. vlt. D. de re milit.*; *L. 3. Cod. de patr. potest. L. vn. Cod. de emend. propinq. et L. xi. D. de liber. et posth. hered. infl.* in qua postrema dicit Paulus, *quod et occidere licebat*, ex quo apparet, illius tempore non amplius licuisse, filium occidere. Denique pristinam patriam potestatem recentioribus temporibus, quam maxime ante Constantini M. constitutionem, fuisse restrictam, videri potest ex *L. 6. C. de patr. potest.* Abdicatio, quae Graecorum more ad alienandos liberos usurpabatur, et *censoriū* dicebatur, Romanis legibus non comprobatur. His singulis, in quibus patria potestas circa ius vitae et necis tantum specialiter restrinxitur, recentior adiungi potest *Lex un. C. de his qui parent. vel liber. occid.* quo loco Imperator viuferi*dispositione omnibus parentibus*, qui liberos suos siue clam siue palam occidere eni*fuerint*, capitalem dictitat poenam. Sic ea etiam patriae potestatis pars, qua poterat pater liberos vendere, in pignus dare, et quae sunt eiusmodi, insequentibus temporibus, partim restricta, partim sublata fuit, quod docent. *L. 1. Cod. de patrib. qui fil. suos diffrax.* *L. 1. et 37. Cod. de liberali causa: atque L. 6. Cod. quae res pign.* At enim vero ex his iamiam narratis haud apparet id, quod agitur, patriam scilicet potestatem circa vitae generis electionem liberorum, circumscriptam fuisse apud Romanos; Nam respiciunt solum ea, quae ad ius in vitam et libertatem liberorum pertinent, eamque ob causam tanquam ad scopum propositum minus apta reliqui posse, videretur. Non tamen puto errare, si, additis sequentibus, ex istis demonstrare conor, patriam potestatem etiam in illa re fuisse immunitam. In lege antea adducta *4. §. II. D. de re militari* Scriptum est: *qui filium suum subtrahit militiae belli tempore, exilio et bonorum parte multo*

standus

Dandus est; si in pace fusiibus caedi iubetur. Hac in lege non quidem est casus, vbi filius proprio ausu militiam sequi conatus esset. Dicitur enim sequentibus, et *filius requisitus*, quae verba ad superiorum iussum respicere puto. Id tantum inde colligere mihi liceat, magistratui quoque hoc casu potius ius, quam patri ipsi in filios competitiss. Si in loco citato, de belli tempore solum sermo esset, necessitati hic parendum esse videretur, neque locus ad rem aliquid facere. Sunt autem simul clara verba de pacis tempore, quo pater aequo ac in bello praeceptis poenibus ad dandum filium adigi poterat. Quid, cum pater cogi poterat, non tantum belli sed etiam pacis tempore, vt patetur filium suum, imperante magistratu, signa sequi; puto, patrem neque aduersari potuisse, si filius sua sponte nomen dedisset militiae. Supponendum nempe hic est, quod iam supra dixi, sermonem esse de filio eius aetatis, qui videre possit atque aestimare, quale vitae genus sibi sit aptissimum, non simul de iis, qui vita disbsolute gesta, aut ex taedio litterarum ad militiam alijudue studium commodius sibi existimantes, refugint. Iam si verum est, patrem non aduersari potuisse, si filius, re accurate perpenfa, militiae nomen daret, negari quoque non poterit, id ad quocunque aliud vitae genus commode posse applicari. Praeprimis, si argumentari licet a militia sagata ad rotagam, licet autem omnino, L. I. §. 15. D. de Collat. L. 14. Cod. de Aduoc. diu. iud. cum fere eadem utriusque sint privilegia, de electione saltim studii litterarum nemo dubitat. Sed de ceteris etiam viuendi generibus non aliud erit statuendum. Et enim satis cognitum est, maiori semper ardore atque constantia negotium peragi, quod deliberato animo liberaque ex voluntate suscipitur, atque illud, quod quis, restricta iusu quodam voluntate deliberandi in se suscipere tenetur. Tandem cum, vt supra demonstratum dedi, patri media illa, quibus coercere poterat filium, et cogere ad id eligendum, quod patri videbatur, occidendi scilicet ius, vendendi et reliqua legibus recentioribus Romanis crepta fuerint, non immerito credendum est, eius quoque potestatem desisiisse, quam habuisse circa electionem vitae generis filii antiquioribus temporibus, probare studui.



*Inuestigantur veteres mores Germanici legesque circa
hanc materiam.*

Tactenus de iure Romano, quatenus ad scopum meum spectat, longe enim egredi mihi haud licet. Iam Germanorum mores antiqui nec non veteres leges paucis attingam. Quod ad mores attinet, *Tacitus de mor. Germ. c. 19.* his verbis visus est: *plus ibi boni mores valent, quam alibi bona leges.* Filios plerumque iisdem negotiis functos esse, quae patres exercebant, scilicet in pace venatione atque agricultura, quae artes praeferunt Germanis secundum simplices illorum mores necessaria suppedabant, apparebat ex loco quodam *Iulii Caesaris de bell. Galli. l. VI. c. 21.* vita omnis, scribentis, in agricultura atque in studio rei militaris consistit. Ius illud crudelissimum vitae ac necis, quod Romanis in liberos suos exercere licebat, Germanis haud proprium fuit, et si quidem apud alias gentes eiusdem aetatis vigebat, e. g. apud Gallos, vit. *Iul. Caes. de bell. Gall. l. VI. c. 19.* *Viri in uxores, sicuti in liberos, vitae necisque habent potestatem.* Ait de Germanis meliora docet *Tacit. l. c. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagitium habetur.* Ex his autem, quae antea disserui, cernitur, pristinis temporibus rarissime occasionem existere potuisse, ut filii vitae genus a paterno alienum eligere potuissent. Verum cum aliquando post cultiores fieri inciperent, vestigia quoque reperiuntur, ex quibus apparat, eos ad opificia, artes ac studia se applicasse, vnde, iam occasionem vitae genus aliquod eligendi, diuersum etiam ab eo, quo vtebatur pater, adfuisse, planum est. Quod cum legibus aut scriptorum veterum testimonio corroborare nequeam, si quidem in illis nihil fere inest, vnde materia isthaec illustrari possit, hi autem ex proposito hac de re non egerunt, licet mihi per analogiam quedam argumentari. *Christ. Thomas. in Differt. de usu praef. tituli Inst. de patr. potest. cap. II. §. 1.* inquit: *Germanorum mores, vti in aliis plurimis a moribus Romanorum recesserunt, ita nunquam reepperunt illos peculiares effectus patriae potestatis a Iure Romano introducitos,*

et

et ex summa et absoluta potestate patris in corpus ac bona filii deducos; sed vel naturali illa reverentia et obedientia, quam liberi parentibus debent ex dictamine rectae rationis omnibus gentibus communis contenti fuerunt, vel certe peculiares quosdam effectus patriae potestatis, ex domestica status ratione sibi introduxerunt. Germanos itaque, vii et hodie multae gentes et incolae terrarum nullius imperio subiectarum, cum illis officiis, quae dictamen sanae rationis erga parentes exercenda esse docet, contentos fuisse, hoc est quod persuasum mihi habeo, ex quo consequitur, parentes quoque in eo, quod cum forte totius vitae nostrae maxime cohaeret, praecipue sanam rationem secutos esse, nec liberos facile ad aliud vitae genus coegerisse, quam quod sibi consulto elegerint, praefertim si ipsis facultates fuerint tantaes, quantae ad talem electionem requirabantur.

§. VI.

*Ius Germanorum recentius, Saxonum imprimis
nouissimum explanatur.*

V^erum mihi forte obiciendum est, vix antiquam eam fuisse consuetudinem Germanorum, cum nostris temporibus fere contraria sit. Non quidem hoc nego a sententia tamen quam proposui, non patior me dimoueri, siquidem alia atque alia ratio ad diversa ducit. Nimur videtur hodie Germani a prisco more plane discessisse, qui liberos plerumque iam a teneris vnguiculis vitae generi destinant. Hoc vero id ipsum est, de quo quaeritur, num iustum sit, num aequum? Mos ut filius idem vitae genus, quod patris est, eligat, qui praefertim inter opifices viget, non plane quidem reicendus est. Germani quam tenaces fuerint huius consuetudinis, ex eo videmus, vt per operarum statuta pleraque, quin ipsas ciuitatum leges, ab his, qui filii sunt eorum, qui cuidam opificio operam dederunt, si ad idem se applicarunt et iura magistri (*Meisterrecht*) acquirunt, vel si non quidem filii sint eiusmodi hominis, sed viduam tamen



aut filiam talis opificis ducunt in matrimonium, dimidia tantum pars eius pecuniae postuletur, quae ab aliis haec conditione non viss pro impetrando, hoc iure soluenda est. Hanc consuetudinem, quod nimurum filii vitae genus patris sequantur, non plane inutilem esse, antea dixi, et quidem ideo, quoniam hoc modo liberi statim ab infantia, prima rudimenta artis, paternae ludendo quasi addiscere possunt, eoque magis periti artifices fieri. Verum tamen minus recte fit, vt filius a patre sordidi, vt dicitur, opificii natus, idem cogatur addiscere, cum tamen cupiditate melioribus, iisque altioribus studiis flagrat. Experientia enim docemur quanti etiam ex insuffis ordinibus prodierint viri. Pari modo minus bene sibi familiaeque confidunt parentes in dignitate aliqua constituti, si cogunt filios, vt idem studium, cui pater debet fortunam suam, inuita Minerua, ingenio parum ad id apti, elegant. In proverbio quidem dicimus, liberos plerumque vestigia paterna sequi, his verbis: der Apfel fällt nicht weit vom Stamme. At enim vero, quam multa de his, qui ex claro sanguine nati, ad humillimum usque vitae genus descenderunt, nimis triflia nobis non exhibet historia exempla, tam ex pristinis quam recentioribus temporibus. Quatenus autem pater filium cogere posse, ad vitæ genus eligendum, ex legum dispositione, alibi forsitan distinctius constitutum est. In Saxonia nihil, quod de hac re in legibus sit scriptum, inuenio. Si tamen licet argumentari a tute, cuius officium, vt apte scribit *Heinecc.* in *Iure Germ. lib. I. Tit. XVI. §. 376.* idem apud Germanos ab antiquo ac patris est, pater filium cogere nequit. In *Ord. Titel. Sax. Cap. XII. §. 2.* dicitur: Wenn ein Vater in seinem letzten Willen, wegen seiner Kinder Erziehung, bey wen und auf was Art solche geschehen solle, absonderliche Verordnung gethan hat, so ist derselben, so viel möglich, und wenn sich kein erhebliches Bedenken ereignet, nachzugehen. Hic locus praescertim respicit voluntatem patris, quae post mortem aequa valere debet, ac eo ipso adhuc viuente. Summus autem Legislator, per verba: so viel möglich, und wenn sich kein erheblich Bedenken ereignet, hoc quoque obseruari voluit, num pupilli ad istud vitae genus apti sint, ad quod eos educari iussit defunctus pater. Etenim sub verbo Erziehung etiam studia et artes vel opificia, quae a pupillis ad vitam in posterum utiliter degendam sunt eligenda, comprehendi, ex §. antec. eiusdem



28.

dem loci appareat, in qua haec verba insunt, und insonderheit alsdenn anzufragen, wenn wegen der Erziehung eine Aenderung getroffen, und die Unmündigen an fremde Orte gehau, oder zu einer gewissen Lebensart, als: zum Studiren, zur Kaufmannschaft oder einem Handwerk, angeführt werden sollen. Sic quoque in §. 7. et cap. idem sensus certi potest. Hoc tamen ita accipi nolo, atque sic existimarem, quemcunque patrem coactum esse, vt magistratus antea adiret, quoties filium certo desinaret studio. Partim enim omnino maior est potestas patris ac tutoris, partim maior etiam est amor patris erga filium, ac tutoris erga pupillum. Quo posteriore considerato, pater potestate sua abusurus non erit, sed vires tam corporis quam animae filii perscrutabitur, nec non desiderium eius certas quasdam addiscendi artes atque scientias ab ineunte aetate obseruabit, et cum per aetatem maturiorem hoc sicut, filio ipsi proponet, iam adesse illud tempus, quo determinandum sit, quomodo reipublicae utiliter aliquando infernire velit. Sic omnes agere patres familias quibus salus futura liberorum suorum curae cordique est, ego ipse, qui Patri Carissimo pro sua in me benevolentia, hoc acceptum resero, vt mihi vitae futurae genus eligendi, libera fuerit facultas, testis sum, multique alii testes fuerunt. Cum autem nulla regula sine exceptione, certe et parentes sunt, vti iam supra dixi, non pauci, qui liberis statim a prima pueritia certum vitae genus praescribunt, ad id num habiles sint, nec ne? nihil curantes. Praesertim hac in re matres videmus saepe peccare, cum haud raro filium, quem adhuc sub pectore gestant, certo cuidam studio confecrant, senquenti vero tempore non modo filii, verum etiam parentes, serius poenitentes, sentiunt, se male egisse, qui filium, quem e. c. pro rostris sacris orantem audiendi cupiditate flagabant, armis splendidis incidere vident, qui, si ad hoc vitae genus prius accessisset, ad magnos fortasse honores peruenisset.

§. VII.

Num filius patrem ob coactionem qd vitae genus, in iudicio conuenire posset?

Filium iam quandam iustas ob causas patrem in iudicio conuenire potuisse res satis cognita est. Antiquioribus quidem temporibus apud Romanos



manus sine veniae impetracione a praetore hoc non licebat. *L. 4. f. 1.*
D. de in ius vocand: Recte tamen *Stryk.* in *U. M. D. ad h. t. §. 2.*
 monet, cessante illa priuata in ius vocatione, quae erat Romanorum anti-
 quorum, simul veniae impetracionem cessare. Hoc autem adhuc hodie ne-
 cessarium esse inquit, vt ab auctore in supplicatione pro impetranda citatione,
 exprimatur reuerentiae vinculum. His praemissis, quaestio ipsa ponderanda
 est, an filius, qui a patre suo ad certum vitae genus fuit coactus, eum ac-
 cufare possit, si nimur filius ad hoc a patre ipsi praeфиксam vitae genus mi-
 nus habilem atque capacem se sentit. Confugiendum, sicuti in omni sere
 haec materia, ob legum defectum, erit ad coniecturas. Ac primo quidem
 de nostro iure pauca dicam. Scriptum est, vt supra dixi, in *Ord. Tutel.*
Sax. cap. XII. f. 1. tutorem a magistratu, quo constitutus est, con-
 cilium petere debere, quomodo pupillus educari debeat. Quamobrem,
 si tutor inconsulto magistratu vellet pupillum ad certum vitae genus co-
 gere, a quo is abhorret, quis dubitaret, posse tutorem huius causa conve-
 nir. Iam, si argumentari licet a tute ad patrem, licet autem omnino,
 cum is huius munere fungatur, planum erit, contra patrem etiam eam lo-
 cum inuenire actionem. Quamuis enim, quodcunque in tute iuris est,
 non idem etiam statim de patre sit flatuendum, quod vel ipse iam concessi,
 cum tamen tutor conueniri possit, si in hoc, vt in reliquis negotiis, non
 tanquam bonus pater familias versatus fuerit, omnis enim culpa ab eo
 praestanda est. *f. 1. l. c. alleß Fleißeb:* quo maius patris erit officium,
 omnem adhibere diligentiam pro futura filiorum salute. Sed hoc ipsum etiam
 absque arguento ex lege illa Saxonica sumto in hac causa erit confide-
 randum, patris officium esse, vt curet filiorum bonam fortunam. Quam-
 obcausam si quid facit, quod hanc impedit, fortassis ex imperitia rerum
 humanarum, aut ex cocco quodam amore erga hoc sive illud vitae genus,
 aut etiam ex nimia feueritate et pertinacia, cur tunc filio, hanc rem facis
 perspectam sibi habenti, non licet, magistratus aut principis auxilium im-
 plorare, cuius maxima cura consistere debet in salute totius reipublicae.
Eß enim inquit Cic. de off. l. 1. c. 34. proprium magistratus munus,
intelligere, se gerere personam ciuitatis, debereque eius dignitatem et
decus sustinere. Qui posset autem efficacius atque decentius seruari res
 publica

publica, quam per ciues, qui muneribus suis sufficiunt. Nunquam autem is, qui ad munus quoddam cogitur, tanta cura ei praeverit, ac is, qui sua sponte amoreque erga id ipsum adductus, hoc subiicit. Quamobrem nullus dubito, quin magistratui vis sit atque potestas, non audiendi tantum eiusmodi filii querelas, quem pater ad certum vitae genus compellere vult, sed etiam, adhibito forsitan antea praecessorum, quos habuit filius, consilio, vel auditio prius alias personis, ne matre quidem exclusa, qui de ingenio filii animique dotibus testari possint, secundum filium ferendi sententiam, qui sibi aliud eligere proposituvitae genus, cui se maxime parem esse diceret, atque etiam videretur.

§. VIII.

*Agitur de exheredatione, ob contrariam patris voluntati
vitae generis electionem.*

Nonnunquam obuenit, quod parentes liberis exheredationem minentur, si studium ipsis disdiscens, et si interdum sine ratione sufficiente, eligerent, quin in bonis praeter legitimam saepius accidit, ut minis ipse respondeat eventus. Apud veteres Germanos plane nullam exheredationem fuisse sequitur ex eo, quod nulla apud eos erant testamenta, teste *Tacito de Mor. Germ. cap. XX.* Heredes tamen successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. At enim vero, cum Germaniae gentes paulatin tam mores quam vita Romanorum inciperent imitari, exhereditationem quoque, tanquam modum castigandi iuuentutem ab illis acceperunt, ex quibus praefertim *Wifigothi* primo quasdam pauciores tamen ob causas, eam permiserunt, ob verbora scilicet parentibus illata, ob graues iniurias, atque si eis crimen obiecissent. *Lex Wifigoth. lib. IV. Tit. V. §. I. et II.* Idem statuerunt *Longobardi*, si liberi vitae parentum infidias struxerint, consilia saluti eorum contraaria ceperint, eos consulto percuferint, vel incestum eum nouera commiserint. *Lex Longob. Lib. II. Tit. XIV. §. XII.* Ius autem Alamannicum Romanorum sequitur principia



copia. Nam in cap. *CCLII.* eiusdem juris speculator ait. Es mag an chind vater und mutter erb verwirk chen mit vierzehn dingen. Hae vero causae caudem sunt, quas *Nouella CXV.* nobis exhibet. Iure Saxonico, quod debemus *Repkovic.* nihil de his causis exheredationis innuitur. Recentioribus temporibus tamen Saxones in hac vti in plerisque aliis materiis, iuri Romano locum dederunt. Quin per leges Electorales addi debet decima quinta exheredationis causa. Liberi nempe exheredari posunt, qui sponsalia inferint clandestina, si concubitus acceperit, secundum *Ord. Matrim. d. a. 1624. tit. von Ehegelob. §. und da sie, aut pro dimidia tantum legitima, copula carnali non subsecuta. Carpz. Iprd. eccl. lib. II. def. LIV.* In omnibus hisce quindecim causis, nihil reperies de exheredatione ob vitae generis electionem contra parentum voluntatem, excepta ea causa, quae in *Nou. CXV.* decima est: *si praeter voluntatem parentum inter arenarios vel minus filius se se sociauerint et in hac professione permanferit.* Hanc vero propositam exheredandi causam, generalem non efficere regulam satis constat, cum interpretatio extendens in poenarum irrogationibus, ad quas referenda est exheredatio, non admittenda sit. Singularis autem istius exheredandi causae ratio, posita erat in eo, quod illis temporibus infamia notabantur, quas nominauit Imperator, personae. vid. *L. I. D. de his qui not. inf. verbis: artis ludicrae, pronunciandiae causa qui in scenam prodierit.* Nosris diebus longe aliter sentimus, ab his legibus in alia omnia discendentes. Audiatur *Strykius in U. M. D. ad tit. de his qui not. inf. §. VIII.* vbi sic loquitur de comoediis nec non operis: *Nil aliud sunt, quam Scholae morales, quibus vel heroicæ aliorum affectio exhibentur et laudantur, vel aliorum virtutia horumque infelicissimi eventus ostenduntur; quo quid imitari quid evitari deceat, auertant, spectatores.* Itaque puto, ne eam quidem ob causam filios exheredari posse. Sed huic exemplo, quo ex iuri Romani lege filius ob electum vitæ genus exheredari potest, propterea quod tale in honestum et vile habebatur, ex quo opprobrium familie illatum non im merito pater poterat detestari, vt exinde iustus dolor infam faceret exheredationem, contrarium quoque adiungamus, ex legibus Romanorum peti tum, quo exheredatio ob electum vitæ genus eam ob causam non licet, quod

nigio


quod id non turpe sed honestissimum est. Scilicet in L. 55. Cod. de episc. et cler. Iustinianus praecepit, ut non liciat parentibus impedire quoniam liberi eorum volentes monachi aut clericis faciant, aut eam ob causam solam exheredari; sed si ipsi testamentum condunt, neceesse habento quadrantem illis relinquere: Sin autem hoc non faciant, locus fit ab intestato. Manifestum est ex verbis legis: *non licet impedire*: Sermone esse de his liberis, qui contra voluntatem parentum monasterium eligerent vitam aut clericalem, quae utraque, ut multis in locis Codicis et Nouellarum professus est Iustinianus ipse, huic Imperatori in maximo erat pretio. Noluit igitur liberos, qui ad hoc honestum vitae transire genus, quamvis id obnientibus factum sit parentibus, exheredari. Quae, et si ad has terras, quarum incolae Christi doctrinam sub nomine protestantium amplectuntur, hodie applicari, quod ad monachorum professionem, nequeant, valere tamen adhuc possunt de his, qui sanctiorem doctrinam, Theologiam dicimus, discere et per eam aliquando reipublicae cupiunt inferire, cuius facti tamen, ut hanc iniurias parentibus eligant rationem, suasor et probator non esset, cum vereor, ut si bene posset officio fungi eo, ex quo docere cum reliqua virtutes debet, tum reverentiam parentibus praestandum, qui ipse hoc praecipuum praeceptorum, quae Christi sunt, caput neglexit. Rectius, quae Iustinianus edixit, ad aliud quocunque vitae institutum honestum, sive ad artes liberales sive ad illiberales pertineat, quod sibi filius constituit, accommodarentur, nisi non reliquorum solum alia plane ratio esset, sed etiam exhereditatio iam eam ob causam locum non haberet, quod, quae non expressae sunt lege Nouellarum vel quacunque ciuili, admitti non debeant rationes.

Wittenberg, Diss., 1783-85



f

8c.



10,009
27

DE
P A T R I A P O T E S T A T E
CIRCA
VITAE GENERIS ELECTIONEM FILIORUM. 1785-4

D I S S E R T A T I O
Q U A M
P R A E S I D E
D. ERNESTO GOTTFRIED CHRISTIANO
K L Ü G E L

IUR. SAX. P. P. O. IUDICII PROUINCIALIS IN LUSATIAE INF.
MARCHIONATU ET FACULTATIS IURIDICAE
WITT. ASSESSORE ORDIN.

H. L. Q. C.

DIE XXVIII. MENS. SEPTEMB. c 10 10 CCLXXXV.

W I T T E N B E R G A E D E F E N D E T
AUCTOR
JOANNES CAROLUS GOTTLLOB HEISE
D R E S D E N S I S.

D R E S D A E,
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI MEINHOLDY.